





67

**RECTOR**  
**ACADEMIAE WITTENBERGENSIS,**  
**IO. GOTHOFR.**  
**BERGERVS,**  
**D. THERAP. P. P. ORD. MED.**  
**SENIOR, ET h. t. DECANVS,**

**CIVIBVS ACADEMICIS**

S. P. D.

&

**CHRISTI, a mortuis resuscitati,**  
**memoriam**  
**sanctam & salutarem**  
**esse jubet.**

61.



Aschale illud veteris Ecclesiæ,  
nec omnino regio Psalte indi-  
gnum, Ἰπινίμιον fuit: εἶπατε ἐν  
τοῖς ἔθνεσιν, ὁ Κύριος ἐβασί-  
λευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου: *dicite in-*  
*ter gentes: Dominus regnavit a*

*LIGNO. Ps. XCVI, 10.* Quod ipsum tamen, si ex  
Hebræo textu repetas, ad quem ceu Lydium lapi-  
dem exigenda est veritas, ita habet: דַּבְּרוּ בְּגוֹיִם יְהוָה  
מֵלֶךְ *Dicite inter gentes, Dominus regnavit.* At  
mirum dictu est, quanto consensu Patres antiqui, i-  
stam Græci codicis lectionem amplexi fuerint,  
quantaque constantia, vel in medio hostium confi-  
ctu ad illam provocarint. Justinus certe Martyr,  
qui cum viris Apostolicis familiariter egit, in Apolo-  
gia pro Christianis scripta, ipsimet Davidi hoc ora-  
culum vindicat, adeoque in illud sic commentatur:

*Apol. II. p. 80* *David mille & quingentis annis, priusquam Chri-*  
*stus homo factus, crucifigeretur, ea, quæ adduximus,*  
*(Dominus regnavit a ligno) prælocutus est verba;*  
*neque quisquam, vel prædecessorum, vel successorum*  
*ejus in crucem actus, eam letitiam gentibus attulit.*  
Quo ipso quidem Paganos convincere poterat,  
velut Hebræarum literarum ignaros; sed num per-  
æque Judæos, qui sacros consulebant fontes? Imo  
vero. Nam in certamine, quod cum Tryphone Ju-  
dæo habuit, idem hoc eruditissimus Pater urget, &  
plagii

plagii inculsat Judæos, quod has voces ex sacro co-  
 dice eraserint: *Ex Psalmo XCVI. quem David ce-*  
*cinit, inquit, per pauca hæc vestri abstulerunt: ἀπο-*  
*τῆς ξύλης. Cum enim ad verbum ita fuisset dictum:*  
*εἶπατε ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὁ κύριος ἐβασίλευσεν ἀπο-*  
*τῆς ξύλης, reliquerunt illi: εἶπατε ἐν ἔθνεσιν, ὁ κύ-*  
*ριος ἐβασίλευσεν. In gentibus autem de nullo*  
*unquam, tanquam de Deo & homine dictum est, Dialog. cum*  
*ex generis vestri hominibus, quod regnarit, præ-*  
*terquam de solo hoc Crucifixo. Nec quicquam re-*  
*gerit Trypho, gentis suæ acerrimus alioquin pro-*  
*machus, nisi istud: an in Scripturis aliquid depra-*  
*varint duces populi, Deo cognitum est; videtur au-*  
*tem hoc incredibile. Sic etiam Tertullianus, ad-*  
*versus Judæos disputans, cum plures alios, tum*  
*hunc maxime textum adducit: age nunc, inquit,*  
*si legisti penes Prophetam in Psalmis: DEUS re-*  
*gnavit a ligno; expecto quid intelligas; ne forte*  
*lignarium aliquem Regem significari putes, & non*  
*Christum, qui exinde a passione Christi, superata*  
*morte regnavit. Nec Augustinus hinc discedit,*  
*etiam, cum hujus Psalmi interpretem agit; sed ei-*  
*dem lectioni, velut originariæ, constanter inhæret,*  
*& arguto, quo pollet eloquio, regnum Messię hinc*  
*describit: Quo nondum porrectum est Romanum*  
*imperium, jam Christus possidet: quod adhuc clau-*  
*sum*

Dialog. cum

Tryphone

p. 298.

Lib. adv. Ju-

deos p. 221.

Enarr. in Ps.

T. VIII.

Opp. p. 737.

*sum est iis, qui ferro pugnant, non est clausum illi, qui ligno pugnat: Dominus enim pugnat a ligno.*

*Lib. IV. de Omitto nunc Lactantium, qui similia de hoc ligno  
vera Sapien- crucis affert: Cyprianum etiam; dummodo Cypria-  
tia p. 413. nus sit, qui Tractatum de Sina & Sione, Judæis oppo-  
suit, & lignum regale montis Sionis, i. e. crucem Christi*

*Opp. p. 354. laudibus tam eximiis celebravit: Leonem item Ma-  
gnum, qui Justinii legens vestigia, graviter compellat  
Hebræam gentem, atque ad hunc textum revocat:*

*Serm. IV. de Legistis, inquit, Dominus regnavit a ligno. Unum Ve-  
Passione Do- nantium Fortunatum, velut ad cumulum adjungo,  
mini, Opp. & illum quidem maximi ingenii Vatem, ex Barthii e-  
p. 143. logio; qui proinde ex *fideli hoc, Davidis carmine*, ceu  
vocat, Hymnum Paschalem condidit, cujus aliquam  
hic  $\epsilon\sigma\theta\Phi\eta$  adduxisse sufficiat:*

*Impleta sunt, quæ concinit*

*David, fideli carmine,*

*Dicens in nationibus:*

*Regnavit a ligno DEUS.*

*Tom. X Bibl.*

*Patrum p.  
535.*

*Vid. B. Geie-  
rum & Ca-  
lov. in b. l.*

Cum igitur hanc sententiam, velut divini oraculi particulam, suscipiat sacra vetustas, exquirendum superest, quo loco ac numero censeretur illa debeat? Neque vero cum Genebrardo, Lindano, Salmerone, aliisque scholæ Pontificiæ doctoribus eo procedendum, ut Canonem Scripturæ Hebræum corruptum fingamus, ideoque ex Græco LXX. Senum codice refarciendum. Absit enim, ut ad rivulos emendare fontem, vel ad navis cursum, ipsam dirigere cynosuram velimus. Numquid Christum cum Apostolis suis, hanc, tam notabilem codicis sacri corruptelam prætermisisse silentio credamus? quem in Pharisæis, aliisque

que

que Evangelicæ doctrinæ hostibus, crimina etiam le-  
 viora, graviter sæpe redarguisse novimus. Quin-  
 imo certus de hujus depositi incolumitate: *Habent,*  
 inquit, *Mosen,* (salvum videlicet illum ac integrum)  
 & *Prophetas,* (nec illos quidem corruptos aut depra- *Luc XVI, 29.*  
 vatos) *audiant eos.* Nimirum, *Judæis concredita o-*  
*racula Dei fuerant,* teste Apostolo, quæ, vel minimam, *Rom. III, 2.*  
 partem violare, perinde existimabant, ac omnia sa-  
 cra depeculari. Itaque doceri non potest, in ullo un-  
 quam codice Hebræo, vel lectam quondam fuisse hanc  
*εὐαγγέλιον,* vel hodiernum legi. Non reperitur illa in Tar-  
 gum: excluditur a textu authentico, per Masoreticos  
 numeros: desideratur in omnibus versionibus antiquis,  
 quas Biblia Polyglotta hodie sistunt. Quid, quod nec in  
 ipsis editionibus Græcis occurrat, sive Ximenianam e-  
 volvas, sive Sixtinam. In uno Psalterio veteri, quod Ro- *Hist. Eccl.*  
 mæ asservetur, conspici has voces, notat cum Nobilio, *Sec. II, P. II,*  
 Natalis Alex.; ubi vero præterea, non facile docetur. *p. 180.*  
 Sed unde tandem enatum hoc *ἑβραϊσμός* est, quod  
 ita confidenter allegant Patres, & quo cruentam  
 Christi victoriam tam strenue propugnant? *Fortè qui-*  
*dam librarii,* H. Grotius inquit, *pro יהוה scripserunt יהו,*  
*postea vero utraque lectio coaluit.* At sceptica hæc inter-  
 pretandi ratio est, nec textum intemeratum relinquit,  
 quare notata Calovio nostro, atque rejecta fuit. Ste- *Bibl. Illustr.*  
 phanus le Moyne, CL. V. opinionem approbat, qua ex *ad b.l.*  
 verbis aliunde sumptis, *יהוה מלך מן עולם* *Deus regnavit ab*  
*eterno,* colligatur, Græcos Seniores legisse *יהוה* *de ligno:* *ps. XCIII, 1.*  
 cui deinde & suam quandam subjicit conjecturam, per- *In Dissert. ad*  
 æque tamen difficilem atque contortam. Verum. *Jer. XXIII,*  
 missis illis, quorum longe plura suppetunt, *εὐαγγέλιον,* ex *6. nuper ad-*  
*LXX. Interpretum historia rem conficiemus.* Nam, *modum edi-*  
*ta p. 84.*

*Dialog. cum  
Tryphone  
p. 297.*

*Vid. Ham-  
mond. Com-  
ment. in Act.  
Ap. p. 311.*

*Act. VI, 1. c.  
IX, 28. c. XI,  
20.  
Justin. Dial.  
p. 217.*

qui primus omnium hæc verba desiderat, Justinus Martyr, non de falsatione Hebræi codicis, sed Græci illius loquitur; id quod disertis ipse verbis innuit: *Magistri vestri*, inquit, (Græca enim compendii causa omitto,) *multos & integros prorsus locos Scripturarum, ex translatione eorum, qui cum Ptolomæo fuere, Seniorum sustulere, in quibus clare hunc ipsum crucifixum, Deum & hominem esse, eumq; in cruce pendere, & mori, prænunciatum est.* Qui enim vergente Monarchia Græca, i.e. sub Principibus Syro-Græcis degebant Judæi, & codice septuaginta Senum Græco utebantur, vulgo *Hellenistæ*, non quidem a peculiari idiomate, sed ab incultiori paulo lingua dicebantur: ex adverso autem, qui canonem Hebræum & Paraphrasin Hierosolymitanam in communi habebant usu, *Hebræorum* nomen retinebant. Quod discrimen adeo liquidum est, ut sacris etiam literis edoceatur, quot jurgia & lites, inter utramque hanc sectam emerferint. Atque ex illorum genere, etiam Tryphonem fuisse, vel inde constat, quod & in Græcia educatum, & inter Græcos commoratum se esse, fateatur; nec aliunde, quam ex Græco tantum codice, objectas dijudicet lites. Tametsi vero Judæis Hellenistis summo in pretio fuerit hæc Translatio Scripturarum, sic ut palam legeretur in Synagogis, & ipso tempore Christi, quoad magnam sui partem, divinam indueret auctoritatem; tamen, qui Christi cultum præfracte respuebant Judæi, id unum agebant improbi, ut vitiarent hunc codicem, & ea in primis, loca expungerent, quæ personam & officium Christi vel maxime illustrabant. Atque hoc illud spolium est, de quo supra conquirebatur Justinus, quodque perversæ genti toties exprobrant Origenes, Hieronymus, Chrysostronus aliique



liique, quorum loca Chamierus congeffit. Hinc *Tom. I. Pan-*  
 etiam est, quod non Versionem hodie, sed vix umbram *strat. p. 217.*  
 hujus Versionis possideamus. Jam dubia hæc ver-  
 ba *ἀπὸ τῆς ξύλης*, in primis codicibus lecta fuisse, ec-  
 quid est, cur dubitemus? Num auctoritatem doctissi-  
 morum tot Patrum reddemus suspectam? Nunquis  
 credat, tantos Ecclesiæ duces, vel pugnam cum hosti-  
 bus, vel commentationem hujus loci ingressos, de  
 commate isto ita incertos fuisse, ut temere de restitu-  
 endo peculio cum aliis dimicarint? At enim vero, a fon-  
 te Hebræo illa *ἡ ἀπὸ τῆς ξύλης* recedit? non repugno: sed  
 non peræque recedit ab analogia Prophetiæ fidei,  
 quæ statum Christi humilem & gloriosum tam sedulo *Psal. VIII, 6.*  
 connectit. Cum proinde hic Psalmus de regno Chri- *XVI, 4. 10.*  
 sti agat per integrum, LXX. Senes, statum simul *XVIII, 5.*  
*κενώσεως* ad animum revocaturi, pulcra quadam *XXII, 17.*  
*ᾠδή* erudiunt Ecclesiam: *regitare Jehovam, qui ante* *XXXI, 6.*  
*suspensus fuerat a ligno.* Nec enim dedecet interpre- *XXXV, 7.*  
 tem, in rebus sublimibus infimul agere paraphrasten; *XL, 8. XLI,*  
 nec infreqvens hæc ratio fuit Senioribus, quantum *9, CX, 7.*  
 ex Versione, quæ hodiernum superest, perspicitur.  
 Sic, cum Propheta de Messia vaticinatur, his verbis:  
*omnis caro videbit eum*: Septuaginta elegantem *ᾠδή*  
*ᾠδῶσιν* addunt: *ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τῆς θεῆς*; id  
 quod Lucas iisdem verbis repetit, & Christum, ut  
*τὸ σωτήριον τῆς θεῆς* designat. Iterum, cum Hebræus *Luc. III, 6.*  
 Messiam appellat *ἑβραϊστικῶς* *consiliarium*: Seniores paulo *Esa. IX, 6.*  
 copiosius, *ἄγγελον μεγάλης βουλῆς*, i. e. *Angelum magni con-*  
*silii* salutant. Plura hujusmodi cumulare non vacat.  
 Siccine novos mihi Prophetas fingis, inquires, vel ipso  
 Davide luculentiores? minime vero: saltem inter-  
 pretes sisto, qui ex tot oraculis prophetis, mysteri-  
 um cru-

um crucis ante Servatoris adventum intellexerint. Re-  
*Gen XXII, 9.* cogitabant enim lignum, cui imponebatur Isaacus,  
 verissimus Christi typus: intuebantur simulacrum  
*Num. XXI, 8* crucis in deserto erectum, cuius aspectu Israelitæ ser-  
 vabantur incolumes. Quod si ergo hæc sapientia  
*Lips. de Cru-* figura, VITAM VENTURAM designarent, quod mo-  
*ce p 30.* numentis invictis Lipsius ostendit; quid obstat, quo-  
 minus eandem, ex oraculis divinis imbiberit vetus  
 Ecclesia, adeoque a ligno, quod mortem attulit, vitam  
 rursus salutemque æternam sibi promiserit. Sed non  
 est, ut ex laciniis veterum hanc stabiliamus fidem,  
 cum diviniore longe testes, ipsiusque rei gestæ nun-  
 cii, nobis suppetant. Ita Petrus, priscam de hac re  
 spem firmaturus; *Ipse, inquit, peccata nostra pertulit in*  
*1. Pet. II, 24.* *corpore, Ἰπὶ τὸ ξύλον, ejusdemque vibice sanati sumus.* Pau-  
 lus vero Christum τὸν κρεμάμενον Ἰπὶ ξύλου, i. e. *suspen-*  
*Gal. III, 13.* *sum e ligno, ostendit, & talem ex scripturis V. T. co-*  
 gnitum fuisse, indigitat. Totus proinde Apostolo-  
 rum chorus huic concinit: *Certo sciat tota domus Israel,*  
*Act. II, 36.* *quod Dominum & Christum fecerit Deus hunc Jesum, quem*  
*vos crucifixistis.* Sic Dominum eundem ac Regem a-  
 gnoscimus, qui pependit in ligno. Atque hoc lignum  
 crucis, haud secus ac tropæum Christi intuemur, quo  
 palam declaratum fuit, portas inferorum diffractas,  
 vim mortis obtritam, scelera expiata; omnia nobis  
 in hoc Nomine restituta. Hæc piis animis recolite,  
 CIVES, & quanta in nos Servator merita contulerit,  
 serio ponderate; denique, quam habetis, liberalitatis  
 laudem, perpetuo servate. P. P. Pridie Festi PA-  
 SCHATOS. A. clō Is C C.

WITTENBERGÆ, Literis SCHROEDTERIANIS.



